DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DE

IVRIBVS ET ACTIONIBVS FEVDI TITVLO CONCESSIS

AVTORITATE

MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS

D. XIII. IVL. MDCCXLVII

DEFENDET

CHRISTIANVS LVDOVICVS STIEGLITZ.

LIPS.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

Biblioteca Nazionale

ILLVSTRISSIMO
REVERENDISSIMOQVE DOMINO
DOMINO
HEINRICO
S. R. I. COMITI
A BRÜHL
DYNASTAE IN FORSTA PFOERTEN GROCHWITZ BORCKE KOHLE REINSDORF SCHOENAV KIMPELSDORF LINDENAV NISCHWITZ LICHTENAV SEIFERSDORF ETC. ETC.
POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS ET ELECTORIS SAXONIAE MINISTRO PRIMARIO, A CONSILIIS SANCTIORIBVS, PEDITATVS DVCI, REGII CVBICVLI PRAEFECTO, FISCI REGII ET AERARII SAXONICI DIRECTORI, PRAEFECTO PRAETORII POLONICI, LEGIONIS TRIBVNO, AQVILAE ALBAE, NIGRAE, ITEM SANCTI ANDREAE EQVITI, CAPITVLI S. PETRI BVDISSINENSIS PRAEPOSITO ETC. ETC.
DOMINO INDVLGENTISSIMO
HANC DISSERTATIONEM
ILLVSTRISSIMO EIVS NOMINI
D. D. D.

ADDICTISSIMVS CLIENS
CHRISTIANVS LVDOVICVS STIEGLITZ.

§. I.

Iuris et actionum definitio.

Iuris verbum ita late patet, vt etiam dominium, ſtricte ſic dictum, contineat, et ad res pertineat incorporales, quatenus nimirum vt ſpecies iuris realis conſideratur; Nobis autem placet hoc loco anguſtius cohibere eius vim, et omnes facultates et qualitates morales iuris verbo intelligere, quae a dominio vtili rei corporalis ſunt quidem diſtinctae, veruntamen vtilitatem, vel commodum, conſumtioni non obnoxium, vtenti et quaſi poſſeſſori praeſtant. A quibus porro differunt actiones. Quae, etſi ex iure ducuntur, eiusque ſint effectus, vnde et ipſae generali iuris nomine

comprehenduntur; tamen quia ſunt ad iura iudicio demonſtranda perſequendaque apta, non abhorret eas tanquam ſingularem ſpeciem rerum incorporalium a iure ſecernere, vti non immerito Imperator actiones a rebus ſeparauit, iisque peculiarem in iuris ſcientia partem attribuit. §. *fin. I. d. I. N. G. et C. add.* HVBER. *Prael. ad. I. L. I. tit.* 2. §. 14. Has vero pariter ac iura quousque accedunt rebus ciuiliter immobilibus in feudum dari poſſe, animus eſt hac diſputatione demonſtrare. In quo vt ratione progrediamur, age feudi notionem, quoniam in ea definienda non ſatis conueniunt ICti, quantum inſtituti ratio poſtulat, explicemus.

§. II.

Feudum quotupliciter ſumatur.

Mittamus autem peregrinas feudi ſignificationes, quas ab EYBEN *El. I. F. c. II. §. I.* BVRI ad SCHILTERI *I. I. F. p.* 449. SENCKENBERG *primis Lin. I. F. p.* 138. DV FRESNE *h. v.* commemorant, et eas tantum ſpectemus, quae Iuri conueniunt beneficiario. Tripliciter autem, hac ratione, iſto verbo vtimur. Modo I.) rem denotat clientelarem *I. F.* 4. §. *fin. I. F.* 6. 2. *I.* 26. *pr. II. F.* 8. §. 1. *II. F.* 22. *II.* 26. 4. *II.* 28. §. *Si Vaſallus in feudo.* Modo II.) contractum illius cauſſa factum, *I. F.* 28. *per feudum inueſtitum non fuiſſe - - - inueſtire ipſum de iam dicta*

terra

terra per feudum debet. II. F. 3. 1. *per feudum tamen cuilibet dari poteſt* II. F. 9. *pr.* *Si vero vel totum vel partem volebat per feudum aliquem inueſtire.* II. F. 20. *alia re per feudum inueſtituram.* II. F. 28. 87. Modo III.) ius ex ipſo contractu ſecutamque inueſtituram ortum. I. F. 25. *feudum ſine inueſtitura nullo modo et quaſi feudi nomine retinere.* II. F. 1. *feudum in rebus ſoli conſiſtere.* II. F. 24. 4. *feudo carere debet.* II. F. 33. *feudi nomine.* HORN. I. F. C. II. §. 7. a LVDEWIG *de I. Client. Germ. Sect. I. C. IV.* §. 3. *p.* 60. et prima illa quidem vis vulgaris eſt, poſtrema autem, quia reliquas comprehendit, recte ceteris praefertur. Ad conſequendum enim ius beneficiarium initur contractus, neque res nomine feudi inſignitur, ſine iure per contractum clientelarem, ſubſequente inueſtitura, quaeſito. Ill. BAVERVS *d. comm. Sax. man. ob neglectam renou. amiſſ.* §. XXVII.

§. III.

II. F. 23. deſcribitur, non definitur feudum.

In II. F. 23. feudum appellatur *quod ex beneuolentia ita datur alicui, vt proprietas quidem rei immobilis beneficiatae penes dantem remaneat, vſusfructus vero illius rei ita ad accipientem tranſeat, vt ad eum haeredesque ſuos maſculos, ſiue foeminas, ſi de his nominatim dictum ſit, in perpetuum pertineat, ad hoc vt ille et ſui cohaeredes fideliter domino ſeruiant.* Sed hanc

 defini-

definitionem rectiſſime HORNIVS reprehendit, *l. c.* cum ea feudum potius craſſe deſcribatur, quam ſubtile definiatur. Praeceptis enim dialecticis conueniens definitio dicitur ea, quae eſſentiam, genus nimirum et differentiam ſpecificam complectitur. Sed ad eſſentiam feudi nullo modo pertinet, vt feudum ſit perpetuum, et ad haeredes deuoluatur. Nam dantur feuda ad pauciores annos et vitae dies conceſſa, veluti habitationis, Soldatae, de Camera et de Cauena. *II. F. 2. §. 1. II. F. 10. II. F. 105. I. F. 2. II. F. 11.* v. BVDER. *amoenitat. I. F. p. 38.* SCHRADER *d. Feud. II. 4. 20.* SCHANNAT, *Corpus Trad. Fuld. n. 476. 650.* Nec praeſtatio ſeruitiorum neceſſario feudis ineſt, quum feudum quoque ſine onere praeſtandorum ſeruitiorum concedi poſſit. *II. F. 104.* quod francum ſolet vocari. HORN. *I. F. c. XXVI. §. 9. et 13.* Adſcribuntur porro minus curate Domino directo proprietas et vaſallo vſusfructus. Vſufructuario enim ſeruitus tantummodo conuenit perſonalis in re aliena, vaſallo vero dominium, quod vulgo ad haeredes feudales in infinitum transmittit, et licet vi pacti non ad eos perueniat, adhuc tamen in communione dominii verſatur, quia inſtar domini, modo damnum nullum fiat domino directo, re clientelari pro arbitrio vtitur, eamque vindicat, nec ſolum fructus ex re prouenientes percipit, ſed et reliqua conſequitur fortuita emolumenta, *II. F. 8. §. Rei autem.*

§. IV.

§. IV.

Dominii directi et vtilis origo atque conditio.

Quae ICtis et interpretibus accuratioribus cauſam dedere, vt dominium feudi cum domino concedente et accipiente vaſallo communicarent, huic dominium vtile, illi dominium directum adſcribentes. Quodipſum a nonnullis fruſtra impugnatur. LVDWELL. *Exerc. IV. th. 4.* III. SENCKENBERG *I. F. prim. Lin. P. II. c. 7. §. 142. ſqq.* Damus ipſis hoc, non directe, vti diuiſio in actiones directas et vtiles, ex fontibus Legum hanc diuiſionem hauſtam, ſed docendi tantum cauſa eſſe inuentam, vid. SCHILTER *ad ff. Tit. de vſufructu.* Nihilominus tamen *in L. I. §. 1. ff. Si ager vect. l. 1. §. 3. de ſuperficie l. 73. l. 75. de R. V. II. F. 8. verſ. rei autem. II. F. 34. 2. II. F. 9.* comprehenditur, et vſu fori inprimis Saxonici, vt ex *Conſt. Elect. Sax. XXXIX. P. III.* patet, eſt confirmata. Adi et FRANZK. *de Laudemiis p. 208.* STRVV. *Synt. I. F. p. 55.* BAIER. *Iur. Germ. p. 172.* Recte itaque melioris doctrinae cauſa adhibetur, ita, vt *proprietas*, quae *II. F. 23.* ſcripta eſt, nobis ſit *dominium directum*, conſiſtens in iure, rem clientelarem vindicandi, eamque ob fidem non praeſtitam vt et ob defectum vaſalli recipiendi, nec non dominium vtile cum directo conſolidandi, exigendi cultum et obſequium, impediendi, ne ſine conſenſu feudum alienetur, iubendi iuris dicundi et iudicandi, EYBEN. *El.*

 F. CXII.

F. C. XII. vſusfructus vero ſic dictus *II. F. 23.* appelletur *dominium vtile*, vi cuius vaſallus rem conceſſam a quocunque poſſeſſore etiam domino vindicat, *II. F. 8.* huic quoque in vindicatione contra alium inſtituta praefertur *II. F. 8. pr. et 26. II. 43.* vid. BERGERI OECONOM. *L. II. T. 2. 5. not. 1.* illa, quoad ſaluo domini directi iure poteſt, vtitur et fruitur, et, domini directi fide vel ſtirpe deficiente, plenum nanciſcitur dominium. vid. Ill. BAVER *d. l. §. 28.* Qua ex re certiſſime magni ICti, vſumfructum verum feudi genus conſtituere, permoti fuere, qui vero minime ſpectarunt nimis anguſtam huius vocabuli eſſe vim, quam vt ius, quod vaſallus in re feudali habet, exprimi eo poſſit. Videtur autem dominium directum ita hanc ob cauſam appellatum, quia potius ſit dominium dirigens, quod vtile dirigit a ſe dependens, vocatur et dominium maius, ſuperius, principale, vt DV FRESNE docet. *Germ. Lehnſchafft Mannſchafft. ordeliche Eigenſchafft et Herrſchafft*, SCHILTERVS *ad I. F. Allem. cap. XIX. §. IX. Hauptgerechtigkeit, Obereigenthum;* Vtile autem ſecundarium, inferius, *das nutzbare und niedere Eigenthum*, Id. *adeliche und nützliche Herrſchafft*, i. e. Dominium directum et vtile, vt in laudo Trier contra Trier apud LONDORP. *T. 5. lib. 1. n. 141. lit. B. de Anno 1364.* legitur.

§. V.

Qua ratione ſi dominium directum ab vtili ſeparetur

retur

retur, dilucidior redditur feudorum doctrina, minimeque confuſio aut obſcuritas erit metuenda, quam FRID. CAR. BVRI *ad Schilterum p. 453. 1322. 1370.* oriri putat. Quodſi originem tantum feudorum ſpectamus, vaſallo ſane dominium feudi vtile nullo poterit tribui modo, cum iſto tempore dominis poteſtas fuerit, quando vellent rem in feudum datam, vt vſumfructum precarium auferendi, *I. F. 1. §. 1.* PFEFFING *ad Vitr. T. II. p. 9. §. 5.* quia vero inſequenti tempore qualitas precarii eſſe deſiit, *d. I. F. 1.* SCHANNAT. *Clientela Fuld. C. I. §. I.* PFEFF. *Vitr. T. II. p. 841. b.* LVDWIG *Ius Client. p. 57.* FLEISCHER *I. I. F. 3. 5. 44.* conceſſis vaſallo in re feudali iuribus, alioquin domino competentibus *II. F. 8. §. rei autem II. F. 26. §. 21. II. F. 15. et 34. §. 1.* LVDOVICI *Diſſ. de effectibus ex dominio vtili prouenientibus*, fieri aliter non potuit, quam vt ita definiretur, quale nunc eſt, nec ratio alio modo ſuadet. SCHILTER. *Inſt. I. F. c. III. §. 3. ſeqq.* Nam quod BVRIVS *d. l. p. 453.* negat, eiusdem rei duos dominos eſſe poſſe, et praeterea hanc diſtributionem repudiat, vehementer errat. Etſi enim non poſſunt eſſe duo eodem iure domini, tamen poſſunt eſſe diuerſo, *l. 30. C. de iur. dot. l. 11. ff. d. lib. et poſthum.* VLPIANVS *T. XIX. §. 20.* Illuſtr. BAVERVS *d. orig. et progr. com. Sax. man. §. XXXIV. vid. et §. praeced. IV.* Ipſa vocabulorum *directi* et *vtilis* diſtinctio oſtendit, dominium, domino competens

directo,

directo, aliter eſſe comparatum, quam dominium vtile, quod vaſallo in re feudali vindicatur, etſi mihi iure videor poſſe contendere, vtrumque dominum directum et vaſallum rem feudalem iure dominii poſſidere in ſolidum. Illi enim in communione dominii, eiusdem rei ita quidem verſantur, vt dominus totius rei in feudum datae dominium habeat directum, vaſallus vero eiusdem rei et non tantum partis alicuius, dominium vtile, diuerſo tamen iure, et effectu quem §. praec. indicauimus. Qua ratione nemo per ſomnium cogitabit, dominum in eodem iuris ad vaſallum pertinentis v. c. iurisdictionis exercitio cum illo concurrere, et ſic partem iurisdictionis ipſi competere. Dominium iurisdictionis directum efficit quidem, vt dominus in cauſis per querelam denegatae iuſtitiae vel appellationem ad ſe deuolutis, tanquam iudex cognoſcat ſuperior; tamen non adimit vaſallo, vtpote iudici proximo, ius ſuum, per quod primam cauſae cognitionem ſibi dicat ſoli.

§. VI.

In definiendo feudo generis loco recte ponitur dominium.

Iam noua ſolet opponi dubitatio. a LVDEWIG *Iur. F. R. I. c. I. qu. I.* §. 2. HEINECCIVS ad SCHILTERVM *C. III.* §. 5. *not. XX. p.* 27. feudum appellari dominium non poſſe contendunt, quod rerum corporalium tantum ſit dominium, res autem incorporales

porales non minus in feudum dari poſſe; minime ergo curate et adaequate nos verſari in eius definitioni, generis loco, dominio adiiciendo. Sed, duplici ſenſu Iureconſultos dominii verbo vti, praetermiſerunt. Sumitur primo pro iure, quod rem corporalem alicui reddit propriam, et ſtrictim hoc vocatur dominium, huicque alia iura, peculiaribus nominibus inſignita, contradiſtinguuntur. *L. 25. pr. de V. S. l. 19. pr. de dam. inf.* Deinde et latius patet hoc vocabulum, et ipſius Iuris, quod opponitur dominio ſtricte ſic dicto, dicitur eſſe dominium. De dominio proprietatis enim, et dominio vſusfructus diſtinctim agitur in legibus *L. 3. ſi vſusfr. pet. l. 15. §. 8. quod vi aut clam. L. 8. pr. d. reb. aut. iud. poſſ. l. 10. §. 3. d. acqu. rer. dom. l. 20. de damno infecto.* Quae largior dominii ſignificatio, merito, cauſam dominio directo et vtili in clientelis dediſſe, iudicatur, et mater eorum iure appellatur. Etſi ergo vaſallus de iure quodam in re inueſtitus, non habeat dominium vtile rei, quae alium habet dominum, habet tamen dominium vtile iuris, quod rei inhaeret alienae.

§. VII.

Definitio feudi.

Quodſi dominium directum, quod feudum concedenti adſcribitur, atque dominium vtile vaſalli conſideramus, in vtroque ius ad rem connexum eſſe perſpiciemus. Dominus enim et vaſallus ad fidelitatem

mutuam, aliaque quae in contractu feudali vel expreſſe vel tacite ſunt promiſſa, perpetuo praeſtanda, ſibi inuicem obligantur. *II. F. 3. §. 4. 5. 6. II. F. 6. II. F. 26. 47. 58.* Qua de cauſa feudum in genere per *ius*, ſine adiectione *τȣ̃ in re* vel *ad rem* definiendum eſſe videtur. Abſolutiſſima autem ea merito cenſetur definitio, quae vtrumque comprehendit. HORN. *I. F. c. II. §. 7. ſeqq.* Hinc optime feudum definitur, *Conceſſio dominii vtilis in re immobili ſub lege mutuae fidelitatis feudalis.* WESENBEC. *de feud. c. 1. fin.* Vt enim dominii vtilis conceſſio, dominium directum exceptum oſtendit, ita ſatis perſpicue contractus, inter concedentem et accipientem feudum, initus in definitione cernitur. Conceſſio enim, inprimis ſub lege fidei, ſine vero aut praeſumto contractu et obligatione exinde profluente alio fieri modo nequit. Ill. BAVERVS *d. l. §. XXVII.*

§. VIII.

Senckenbergii Definitio reiecta.

Nullo ſane modo toleranda definitio SENCKENBERGII *I. F. prim. lin. P. II. c. 7. §. 136.* qui *feudum* dicit *contractum, quo vaſallus Domino operas militares, aliasque a milite praeſtandas, pro certa mercede elocat,* in qua et genus nimis late patet, et differentia deſideratur. Contractus quidem ad feudum pertinet conſtituendum, non tamen omnino feudum abſoluit. Quare

re feudo per contractum definito, indicatur vinculum obligationis, inter dominum et vaſallum; at ius poſt contractum perfectum, per inueſtituram cuiuis contrahentium competens in re conceſſa, ſilentio praetermittitur, quod tamen eſt praecipuum, cum hac re demum, feudum perfectum conſtituatur. Nam quod THOMASIVS *de feud. obl.* §. *XXIV.* ſcribit, contractus mentionem a definitione propterea abeſſe non poſſe, quod praecipua feudi diuiſio in proprium et improprium, ſine contractu intelligi non poſſit; id non eſt eiusmodi, vt neceſſitatem hanc adferat, propterea, quod contractus notio latet in differentia, quae dominium vtile ſub lege fidei dari et accipi dicit. Genere itaque idoneo caret definitio, neque dominii directi et vtilis mentio in definitione, vt debebat, facta eſt. Deinde SENCKENBERGII definitio nullam continet differentiam inter vaſallum et alium militem mercenarium; Quae non in operis a milite praeſtandis conſiſtit, quod etiam feuda quaedam ſunt ab operis militaribus immunia, vid. ſupra §. III. verum in mutua fide praeſtanda. *II. F. 3. §. 1. in fine II. F. 5. 6. 26. 38. 47. 58.* STRVV. *Synt. Iur. Feud. C. II. aph. 6. n. 6.*

§. IX.

De Fidelitate feudali.

Qua vero ratione fides feudalis, ab aliis fidelitatis ſpeciebus differat, explicat SCHILTER. *I. I. F.*

 c. III.

c. III. §. 6. ID. *ad Ius. Feud. Al. C. IV. §. 7. p. 64. ſqq.* et curatius MAIER *Synt. I. F. p. 527.* BVRI *ad Schilt. p. 1331. ſeqq.* ab EYBEN. *El. F. C. XI. §. 10.* Praecipua autem differentia in eo conſiſtit, quod violationem fidei feudalis ſequatur priuatio dominii, quod violans in re feudali habet *d. II. F. 38. et 47.* Officialis, contra fidem peccans officium amittit, at non amittit dominium rei ſuae. Ciuis, ob perfidiam, graui coercetur poena, non ſtatim bonis multatur. Et licet bona ciuis, ob crimen perduellionis, publicentur, *Nou. 134. c. fin. O. C. art. 118.* non tamen quaecunque officiorum a ſubdito obeundorum transgreſſio, crimen eſt perduellionis, neque huius poena publicationem bonorum ſemper affert. Sed aliae adhuc graues poenae in eiusmodi criminis reum ſunt ſcriptae. Qua ratione poena ſubditi, qui tale delictum commiſit, grauior eſt poena vaſalli dominum offendentis. Offenſio enim ciuis, laeſae maieſtatis notam meretur, vaſallus vero non poteſt grauius, quam feudo eripiendo, puniri. *clem. 2. v. denique II. F. 23. 24. §. vlt. Ord. Pac. Publ. Imp. tit. die poen der Friedbrecher.* Sed et vice verſa, poena, in amiſſione feudi conſiſtens, quae perfidiam ſequitur vaſalli, aliquando grauior eſt poena, quae ciui perfido conſtituta eſt, ſicubi hic mulctam pecuniariam plane leuiorem incurrit, quam vaſallus, qui ob ſimile delictum, rem feudalem, maximi interdum pretii, perdit.

§. X.

§. X.

Sine fide feudali feudum eſſe nequit.

Quum fides feudalis ad eſſentiam feudorum requiratur, et fides non ſit feudalis, cuius violatio, priuatione iuris et dominii, violanti in re beneficiaria competentis, coerceri nequit; §. *praeced.* ſua ſequitur ſponte, talia pacta, vi quorum a priuatione liber eſt perfidus vaſallus, qualia ex chartis anecdotis ſe didiciſſe refert SENCKENBERG *Prim. Lin. I. F. P. II. c. 15. §. 410.* eſſentiae feudorum repugnare, nec negotium a contrahentibus initum pro feudali ſed allodiali habendum eſſe, *arg. l. 36. l. 80. §. 3. d. contr. emt.* HORN. *I. F. C. III. §. 3.* SCHILTER *I. I. F. C. III. §. 5. ibique* GEBAVER. AB EYBEN *El. I. F. C. XI. §. 7.* Ex aduerſo inde BVRI *d. l. p. 1339.* fruſtra concedit, in nonnullis praediis ruſticis, fidem non quidem feudalem, veruntamen talem offendi, cuius violatio cum priuatione praedii ſit coniuncta. Imo, cum vindicatio perfidiae in reuocatione praedii ſub lege fidelitatis conceſſi, conſiſtens, fidem promiſſam efficiat feudalem, §. *praec.* et feuda ruſtica poſt introductum ius feudale Longobardicum in Germania ſint recepta; non minus praedium ruſticum ſub iſtiusmodi fidelitatis lege datum, verum ſit feudum, nec niſi dominium vtile ſub nexu feudali in poſſeſſorem translatum ſit oportet.

 §. XI.

§. XI.

Fides et duplex dominium arcte ſunt coniuncta in feudo.

Tam arcto enim fides feudalis et duplex dominium nexa ſunt vinculo, vt ſine hoc illa non exiſtat, neque formam habeat fidei feudalis. Nam poteſtas plenum rei dominium ob fidem ab altero laeſam nanciſcendi, eſt effectus dominii tam directi quam vtilis, ad partem offenſam pertinentis, *II. F. 38. II. F. 47.* Et fallitur A LVDEWIG *I. F. R. I. c. I. qu. I.* §. 2. opinatus, dari feuda proprietatis. Nam etſi forte vi pacti beneficium naturam allodii tantopere inducat, vt facultas diſponendi et ius ſuccedendi ipſius relictum ſit libero arbitrio; non tamen plenam adipiſcitur proprietatem vaſallus, quod plures ſuperſunt eius effectus, ad dominum directum pertinentes, vbi is feudum non minus vindicat et ob fidei feudalis laeſionem, nec non Vaſalli ſine haerede feudali decedentis defectum, plenum conſequitur dominium. THOMASIVS *d. Feudis obl.* §. *XXXIIX.* Ill. BAVERVS *d. comm. Sax. man. ob negl. renou. amiſſa* §. *XXIX. ſeqq.*

§. XII.

De re naturaliter et ciuiliter immobili feudali.

Quousque vnus enim alterue proprietatis effectus ad dominum ſpectat, ipſius dominium directum eſt ſaluum. Quando vero omnes proprietatis effectus deficiunt, tum eſſentia feudi interit, et poſſeſ-

ſor

ſor non eſt vaſallus ſed plenus rei dominus. Eadem requiritur ratione, vt feudum in re conſtituatur immobili, ita tamen, vt res ciuiliter immobilis pari iure cum ea, quae natura eſt immobilis, in feudum poſſit concedi. *II. F. 1. §. Sciendum II. F. 23.* Res autem ciuiliter immobilis vocatur, quae quidem ſalua ſubſtantia de loco in locum moueri poteſt, verum tamen conſtitutione legis, vel conſuetudine pro re immobili habetur. *l. 17. §. 7. d. act. emt.* MENCKEN *theor. et prax. Pand. L. I. T. 8. §. 11.* STRVV *S. I. F. c. II. aph. 3. n. 5.* In foro feudali omnes res, per ſe mobiles, rebus accenſentur immobilibus, et ciuiliter ſunt immobiles, ſi vſum feudo conuenientem praeſtant. Quem vero praeſtant, quoties duplex dominium directum et vtile, nexui fidelitatis feudalis inuolutum admittunt; fieri autem hoc ſolet, quando quilibet contrahentium, ius in re conceſſa, ad ſe pertinens, non minus ſaluum et integrum habet, quam in re natura immobili. HORN. *I. F. c. IV. §. 21.*

§. XIII.

Exemplo ſit fundus cum inſtrumento.

Quod ſaepiſſime contingit, cum rei immobili feudali, res mobiles accedunt. HORN. *I. F. c. II. §. 10.* Fac fundum, cum inſtrumento ſiue inuentario, quod vocari ſolet, in feudum dari. Non quidem inſtrumenta, quibus fundus ſiue praedium feudale inſtruitur,

tur, et poſt feudi conceſſionem a vaſallo comparantur, pro acceſſione feudi, et re beneficiaria habentur, KNICHEN. *de veſtit. pact. P. II. c. 4. n. 12. ſeqq.* Sed allodialium loco cenſentur, haeredibusque cedunt SCHRAD. *de feud. 2. p. 9. part. pr. ſect. 4. n. 7. f. 560. t. I.* Verum ſi expreſſe cum praedio in feudum dentur, huic tanquam rei principali accedunt, quia ad perpetuum eius vſum ſunt deſtinata; Nec minus auctoritate iuris pro rebus immobilibus habentur, quoniam principale ſequuntur, et vſum feudo conuenientem praeſtant, dum res principalis, cui accedunt, duplex eorum dominium reddit ſaluum, et dominus certum habet ius, feudo vacante, in eas res acceſſorias, earumue aeſtimationem, iure pleni dominii ſuccedendi.

§. XIV.

Res mobiles in feudum datae, praeſtita cautione, ciuiliter immobiles ſunt.

Sed et res mobiles principaliter in feudum datae, praeſtita cautione, de re ſimili, eiusue aeſtimatione, feudo finito reſtituenda, res ſunt ciuiliter immobiles, quia cautio facit, vt res, quae natura conſumitur, intellectu iuris fiat non conſumtibilis. HORN. *I. F. c. IV. §. 21. ſeqq.* Cui minime obeſt, quod alioquin nomina, in quorum ſecuritatem pignus eſt conſtitutum, non accenſeantur rebus immobilibus.

CARPZOV.

CARPZOV. *P. III. Conſt.* 23. *Def. VIII. IX.* Tum enim obligatio ex mutuo eſt principale, et ius pignoris acceſſorium, quod rem primariam ſequitur, minime vero rei primariae eſſentiam conſtituit, vel immutat. E contrario re mobili, cum cautione de re ſimili vel aeſtimatione in poſterum refundenda, in feudum data, cautio non alieno negotio principali accedit, ſed eſt de eſſentia ipſius negotii principalis, vt ſcilicet duplex dominium quantitatis in feudum datae efformetur, nec plenum dominium in inueſtitum tranſeat. Nam omiſſa cautione nihil eſt, quod vicem dominii directi et vtilis gerat, ſed vaſallus plenum dominium conſequitur, et ne fides quidem, quae promiſſa, formam fidei feudalis habet, ſed nuda obligatio allodialis, vid. *ſup.* §. *X.* contrahitur. Quamuis enim ſub lege fidei praeſtandae, eaque non praeſtita, res datas in genere, vel pretium reſtituendi, obligatio ſit contracta, non tamen ex cauſa dominii directi, ſed nuda conuentione datum repeti poteſt.

§. XV.

Eadem ratione et in quaſi vſufructu requiritur cautio.

Similiter eum, qui quaſi vſumfructum habet rerum, quae vſu conſumuntur, cauere oportet, de re ſimili aut eius aeſtimatione, ſi quaſi vſusfructus deſierit, reſtituenda. §. 2. *I. de vſufr. l.* 2. *de vſufr. ear. rer. quae vſu conſ.* Quae cautio, vti efficit, vt res ſua natura conſumtioni obnoxia, quaſi perpetua reddatur,

datur, HOPP. *ad d. §. 2. verb. vtiliter caueatur*, ita cautio vicem proprietatis ſuſtinet, nec ſine ea quaſi vſusfructus intelligitur. *l. 7. 8. ff. de vſufr. ear. rer.* NOODT *de vſufr. lib. I. c. 10.* Qua omiſſa competit quidem facultas exigendi cautionem condictione incerti, et iure fructuarii finito, ius condicendi quantitatem; *l. 5. §. 1. de vſufr. ear. rer.* non tamen vt docet MENCKE *Theor. et Prax. Pand. Lib. VII. tit. 9. §. 1.* haec vice proprietatis eſt, ſed actor nudi creditoris perſonalis, non etiam proprietarii perſonam agit. Nam ad ius proprietatis conſeruandum praeciſe requiritur cautio. Qua de cauſa SALICETVS et FVLGOSIVS *ad L. I. C. d. Vſufr.* ALCIATVS *ad l. 1. de legat. 1. n. 32.* recte ſtatuunt, cautionem eſſe de ſubſtantia quaſi vſusfructus. *d. §. 2. I. de Vſufr.* ibi: *vt tamen eo nomine haeredi vtiliter caueatur etc.* et porro: *Sed per cautionem quaſi vſumfructum conſtituit*, quum ea non praeſtita nihil ſit, quod proprietatis loco eſſe poſſit. Hinc tantum abeſt, vt cum GEBAVERO *ad Schilterum c. II. §. 8. p. 44. n. a* conſtitutionem feudi in re immobili ad accidentalia referamus, vt potius eam ad eſſentialia pertinere exiſtimemus.

§. XVI.

De Rebus incorporalibus mobilibus et immobilibus.

Res incorporales ſua natura neque mobiles ſunt neque immobiles, verum haec diſtinctio propria eſt

rerum

rerum corporalium, *l. 79. §. 1. d. leg. 3. l. 15. §. 2. d. re iudic.* qui tangi poſſunt *§. 1. I. d. reb. corp. et incorp.* quum ex aduerſo res incorporales tangi nequeant, ſed in iure conſiſtant, et a poſteriori demum intelligantur, accedente nimirum exercitio *§. 2. I. d. t.* Attamen vbi ſubdiuiſio rerum corporalium in mobiles et immobiles non ſufficit, dum ad aequam iuris adplicationem obtinendam, diuiſione rerum in mobiles et immobiles in genere indigemus, tum quidem *arg. l. 2. C. d. ſeru. et aqu. Nou. VII. praefat.* exiſtimat RITSCH *d. Feud. l. II. T. I. p. 218.* potius eſſe, vt res incorporales immobilibus accenſeantur. Nihilominus ſi in rationem inquiramus, quae incidente neceſſitate rem incorporalem cum re immobili comparare ſuadet, non alia profecto ſubeſt, quam, quia res incorporalis vſum vel effectum producit, qui conſumtioni proinde non ſubiacet, atque eum producit, res corporalis immobilis. Vnde ſequitur iura rei immobili inhaerentia, quae ob perpetuum vſum ac durationem immobilibus accedunt, vt regalia, ſeruitutes, GAIL. 2. *obſ. 10.* vel actiones eiusmodi rem perſequentes, ad res immobiles; e contra vero iura quae rem afficiunt mobilem, vt nomina perſonalia vel actiones, quae ad eam conſequendam tendunt, vt actio ex mutuo ad res mobiles pertinere. HOPPE *ad §. 2. I. de reb. corp. et incorp.* verb: *quae in iure conſiſtunt* HAHN. *ad Weſenb. de diu. rer. circa fin.* MVLLER *ad Struuium III. 86.*

 §. XVII.

§. XVII.

Eſſentialia, Naturalia, Accidentalia Feudi.

Eſſentialia vocamus, quae a feudo abeſſe nequeunt, et huc vſque ſunt explicata, nimirum, *res immobilis, vel natura, vel intellectu iuris talis, dominium directum et vtile*, nec non *fides feudalis.* Vnde, quod illa habet ſalua, dicitur *verum feudum*, et ſi de iis quid immutetur, non adeſt vera feudi ſpecies, ſed aliud ius conſtitutum, STRVV. *S. I. F. c. II. aph. 6.* TITIVS *I. F. c. V. §. 3.* a quibus differunt *naturalia* feudi, quae ſunt qualitates, vi legis vel conſuetudinis, feudo inhaerentes, ita, vt tacite ſubintelligantur, veruntamen ſalua eſſentia per pactum tolli et immutari poſſint. HORN. *I. F. c. III. §. 4.* STRVV. *S. I. F. c. II. aph. 8.* Igitur feudum, quod non ſolum *eſſentialia*, ſed et *naturalia* ſalua habet, dicitur *proprium I. F. 1. §. vlt.* vt et *II. F. 20. et 33. rectum*, ſiue *regulare*, quia regulam ſequitur iuris feudalis, quemadmodum feudum, quod a regula aberrat, *improprium* et *irregulare* vocatur. Quod fit ex accidenti, quando contrahentes per pactum, quod legem dat contractui, naturam feudi immutant. Quam immutant, tam, ſiquid addunt, quam ſi adimunt. THOMASIVS *d. feud. obl. §. XI.* Nam ſi verbi cauſa ſeruitiis cum regula conuenientibus, aliud onus vel ſeruitium additur inſolitum *II. F. 2. §. praet. I. F. 6. §. quin*, id non minus naturam mutat feudi, quam ſi per remiſſionem ſeruitio-

rum

rum ſolitorum naturale adimatur, quia regula eſt, non alii oneri, quam equeſtribus vaſallum ſubiici ſeruitiis. Quae feudo accedunt qualitates, et naturam neque augent, neque minuunt, illae nec proprium nec improprium reddunt feudum, quod vel probant diuiſiones feudi in nouum et antiquum, ſeculare et eccleſiaſticum, datum et oblatum, gratuitum et oneroſum, et quae ſunt reliqua. Quapropter ſcribit GEBAVER *ad Schilteri I. I. F. c. III. §. 8. n. 6.* qualitates, quae non praeſumantur, ſed in facto conſiſtant, dicendas eſſe *accidentalia.* Quia vero res, quae in feudum dari poteſt, aliquando ita eſt comparata, vt ob illius qualitatem non omnia feudi naturalia locum habeant; neque adeo quid inter contrahentes ſit actum, praeſumendum ſit, ſed de improprietate feudi ex ipſa re feudali liquido conſtet, tum naturalia et accidentalia feudi non aliam ob cauſam a ſe inuicem ſeparantur, quam vt feudum proprium ab improprio diſtingui poſſit, rectius pacta, quibus natura feudi augetur vel minuitur, vocaueris accidentalia. THOMASIVS *d. l.* STRVV. *S. I. F. aph. 9.* MAYERI *S. I. F. p. 557.*

§. XVIII.

Quando Ius in feudum attribui poſſit.

Iam ſatis explicatis iis, quae feudi veram notionem conficiunt, aggrediemur demonſtrare, ius quale ab initio diximus, feudi vim et nomen obtinere poſſe, tum, cum I) illius, veluti rei ciuiliter immobilis,

 domi-

dominium directum et vtile inter diuerſas diſtributum eſt perſonas, et II) obligatio ad reciprocam fidem feudalem eſt contracta. *vid. ſupr.* §. *XI. et XVII.* Dominium autem etiam in ius cadere ex ſuperioribus intelligitur. §. VI. Quoniam autem hoc genus dominii tantum intelligitur, in eoque inſunt quaedam veluti partes, quae mente et intelligentia diſcerni poſſunt, SCHILTER *ad Ius F. Al. Comm. ad rubr.* §. *n.* propterea, iure in feudum dato, illius Dominium vtile a directo intelligitur ſeparatum, ſimul ac vaſallus per inueſtituram conſequitur facultatem, ius iſtud ſubordinate et minus plene durante feudo exercendi, nec non quaecunque commoda percipiendi, iusque plenum, domino deſinente, conſequendi; Quae facultas eſt domini vtilis. Quemadmodum poteſtas, ius conceſſum, feudali nexu ſoluto, plene recipiendi, et durante feudo, omnia, quae ad officium referuntur vaſalli, exigendi, ad dominum pertinet directum. Sed facultates iſtae neceſſe eſt ſint tales, vti vſu non abſumantur, quod alias dominium directum et vtile in re feudali non foret ſaluum. Quae ſi recte ſe habent, et contrahentes fide feudali ſibi inuicem obſtricti ſunt, eſſentialia feudi ſalua dicuntur. §. *XVII.* Vnde fluit quidem facultas ius ſuum in iudicio perſequendi; Quum vero in hoc ſumma contractus non inſit, ſed feudo conſtituto quilibet contrahentium quietum exercitium et quaſi poſſeſſionem iuris dati et excepti,

non

non actionem, niſi quoad ex iure neceſſario conſequitur, ſed ius in feudum conceſſum eſſe apparet.

§. XIX.

Ius in feudum datum inhaereat rei immobili neceſſe eſt.

Sed illud conceſſum ius rei inhaereat immobili, neceſſe eſt, propterea quod feudum in re immobili ſedem habet propriam *v.* §. *XI. et XV.* Non itaque ſufficit in genere, ſub fidei feudalis lege pecuniam verbi cauſa e vectigali promitttere, ſed et diſerte nominatimque exprimi debet locus, vnde ea debeat praeberi. *I. F. A. c. XIV. et XXIII.* Rationem addit SCHILTERVS *ad. c. XXIII.* §. *1.* quod alias non tradita quaſi poſſeſſio huiusmodi feudi cenſeatur. Curatius dixeris, non expreſſo loco, vnde ſit praeſtanda ſumma, ne feudum quidem conſtitutum eſſe, ſed tantum obligationem contractam eſſe perſonalem. Priſci enim fuit moris in Germania, vt vaſallo cui molendina, monetae, telonia, decimae, ſimilesque res attributae eſſent, eiusmodi conceſſio non cenſeretur iure feudi, alium ſequentis dominum, et in haeredes tranſeuntis, niſi certus expreſſus ſit locus, annuae praeſtationi vel iuri in feudum dato inſeruiens. Quod expreſſum legimus. *I. F. S. c. XII.* §. 2. SCHILTER. *d. l.* §. 2.

§. XX.

Res immobilis, cui ius inhaeret, eſt vel propria vaſallo, vel aliena.

Res immobilis, cui ius, feudi nomine datum, inhaeret

haeret, vel propria eſt vaſalli, vel aliena. Cum autem in aliena re minime dubitatur, alteri alicui ius eſſe poſſe, tum vero regulae notiſſimae: Res propria nemini ſeruit, neque quis ea acquirere poteſt, quae iamiam poſſidet; prohibere videntur, ne res propria hic locum habere poſſit. Veruntamen regulae hae locum habere non poſſunt, niſi illud ipſum ius, quod in feudum datur, a vaſallo iam obtineatur, quo tempore tribuitur, vel ſecundo ex proprietate rei immobilis iuri conceſſo ſubiectae neceſſario profluat. Tanquam ſi praedium cum iure paſcendi in iſto fundo in feudum datum ſit, ſane iuris paſcendi conceſſio, ſuperflua atque inanis videtur, quia vaſallus vi vtilis dominii in praedio acquiſiti, iſtud ius exercet, non tanquam ius deſtinctum, ſed vt neceſſarium dominii fructum. Quodſi vero praedium, quod quis iure pleni vel quoque vtilis dominii poſſidet, alteri alicui ius debeat, tum quoad illud ius, res, cui inhaeret, ne propria quidem poſſeſſoris, ſed aliena dici cenſerique debet, vel ſi eandem malis dicere propriam, ſufficit, ſecundum iuris feudalis analogiam rem propriam ſeruire domino, ſi quidem ipſi non vi dominii, in ea tanquam incorporali, competentis, ſed ob aliud ius in ea acquiſitum, ſeruit. Vnde hoc, ſi modo in commercio ſit, neque ante conceſſionem, poſſeſſoris proprium fuerit, ita comparatum eſt, vt in eo feudum conſtitui poſſit.

§. XXI.

§. XXI.

Huc pertinent regalia.

Atque vt exemplo res manifeſta fiat, regalia in feudum data conſideremus. Ea principi ad ſalutem decusque reipublicae tuendum permiſſa ſunt, HORN. *I. F. c. VIII.* §. 2. ad eumque tam maiora, quae gubernationem et ſtatum reipublicae continent, quam minora, quae ſunt commoda et emolumenta ex bonis publicis, vel alias ratione imperii aut territorii percipienda, STRVV. *I. F. c. VI. aph. 13. n. 4. ſeq.* ANTONII *Ius F. p. 191. ſeq.* non vt dominum, ſed tanquam principem pertinent. Qui ſi priuato cuidam rem iure pleni concedit dominii, non ſane hic iura regalia, tanquam ex effectu dominii, ſibi vindicare poteſt, ſed res ſua, quoad haec iura, aliena eſt, Principique ſeruire dicitur. Iam finge, eſſe eiusmodi regale conceſſum a Principe, Domino in re ſua. Nihilominus diſtincta diuerſarum rerum adſunt dominia, quae minime debent confundi. Veluti, ſi vaſallus de praedio et iure venandi in fundo iſto ſit inueſtitus, is ius venandi non vi dominii vtilis, in praedio et re corporali exercet, ſed quod ei ſeparatim feudi loco attributum eſt. Et ſi forte alteri rei principali tanquam acceſſorium adiectum videatur; attamen peculiare infeudationis eſt obiectum, cuius dominium vtile peculiariter vaſallus conſequitur. Non enim eſt effectus dominii vtilis in re corporali, ea-

demque principali, vaſallo quaeſiti, pariter atque va. ſallus de iure venandi in re ſua allodiali ſeorſim inueſtitus, dominio vtili iuris venandi diſtincte gaudet, quod cum dominio pleno rei corporalis minime confundendum erit.

§. XXII.

Idem quoque obtinet quotiescunque alteri res mea ius debet.

Sed eadem ratio eſt aliorum iurium, quae non ad dominum rei corporalis, ſed ad alium in eadem exercenda pertinent. Quoties igitur alteri res mea ius debet, in quo 1) dominium vtrumque locum habere poteſt, quod 2) idoneum profert emolumentum, et ad ſeniorem, quem in arte vocant, aliquando reuerti poteſt, toties illud a dominante ſub lege feudi recte accipio. AB EYBEN *El. feud. c. X. §. 1.* Etſi enim commodum exin proueniens ita comparatum eſt, vt illud, niſi ad alterum, vi iuris in re mea competentis, pertineret, ipſemet iure dominii percipere potuiſſem, quia tamen ius iſtud a dominio meo ſemel ſeparatum, et alteri quaeſitum eſt, non dominii mei fit effectus, vbi alteri ius ſuum non plene mihi cedit, ſed tantummodo dominium vtile ſub lege fidei feudalis, et cum reuocandi poteſtate ad me transfert. Ex quo genere eſt ius ligna caedendi, aliorumque redituum annuorum. Quod ſi alter in re mea habeat, mihi vero ſub fidei feudalis lege conceſſerit,

perfe-

perfectum omnibus numeris feudum in mea mihi re acquiritur. Idque multo magis valet de iure *molendina, torcularia et furnos bannales, Zwangmühlen, Zwangkeltern, Zwang-Backoefen* habendi in fundo noſtro B. G. STRVV *Ipr. Feud. c. VIII.* §. 20. quo magis eiusmodi iura a dominio praedii et rei corporalis ſemper ſunt ſeparata, nec neceſſario ex iſto fonte ducuntur, ſed vel a beneficio principis, vel alia cauſa deſcendunt, et quaeſtum cum aliorum moleſtia coniunctum afferunt.

§. XXIII.

De Feudo pecuniario

Hic cognitis facilius feudi pecuniarii ratio intelligitur. Cum enim certa pecuniae ſumma in feudum datur, non tamen illis ipſis nummis feudum ineſt, propterea, quod in reddendo feudo non iidem nummi, qui accepti ſunt, reſtituuntur, ſed ius illius pecuniae vtendae atque fruendae, et de ea diſponendi in feudum venit. SCHILTER *ad Struuium Cap. IV.* §. 2. HORN *I. F. c. IV.* §. 22. Cuiusmodi feudum regulariter non recte conſtituitur, niſi ob pecuniam iure feudi conceſſam, vel domini, vel vaſalli, vel alterius cuiusque res obligetur, propterea, vt tam dominus, quam vaſallus de iure ſuo ſit ſecurus. *conf.* §. *ſeq. XXV.* Vnde exiſtit nomen, quod non ſolum ſit in dominio, ſed et dominium directum et vtile recipiat, idoneum proferat emolumentum;

 neque

neque impediat, quo minus vtriusque domini ius coire poſſit. Qua ratione cum nomen eundem feudi vſum praeſtet, quem alia res praeſtat immobilis, merito illud cum re comparatur immobili, vel, pro re ciuiliter immobili, quae feudi capax, habetur, *vid. ſupr.* §. *XI.* Cuius rei probatio eo facilius procedet, quo curatius tres feudi pecuniarii ſpecies examinabimus.

§. XXIV.

De prima ſpecie feudi pecuniarii.

Prima feudi pecuniarii ſpecies haec eſt, quando dominus pecuniae quantitatem in feudum datam retinet, rem ſuam immobilem propterea obligat, et reditus pactos ipſemet praeſtat. Quis non videt, in hac ſorte et domino et vaſallo ſuum cuique ius eſſe. Nam Domini eſt facultas de nummis conſtituendi, eos conſumendi, ne ſe inuito vaſallus ius ſibi datum ad alium transferat, impediendi, ius vaſalli finito feudi tempore ad ſe reuocandi, eoque ſe et rem obligatam, ab vlteriori praeſtatione liberandi, quae ſunt dominii directi effectus; Vaſalli autem eſt, reditus promiſſos durante feudo ex re obligata percipiendi, nec non, dominio directo extincto, ſortem exigendi, eiusque plenum accipiendi dominium, quibus rebus dominium vtile conſtat. Quia autem ius capiendi annuos reditus ex re obligata tam diu permanet, quoad ius vaſalli eiusque haeredum feudalium durat, per ſe

patet,

patet, non eſſe domino hanc poteſtatem, vt inuito vaſallo, ſorte obtrudenda, ſe et rem obligatam liberare poſſit. Quod ſi vi pacti facultas ſit, ſortis, cum libeat, reddendae, non tamen vaſallus, ſine noua hypothecae conſtitutione, ſortem exſolutam accipere, neque in proprios vſus conuertere poteſt. Sed quia ſors, quae rem immobilem obligauit, *Ein verſichertes Capital*, ei feudi nomine attributa eſt, dominium eius vtile non ita late patet, vt ſortem a domino repetere, iusque, quod vocant reale, mutare queat. Conſequitur inde, dominum vtilem, facta a domino vi pacti reluitione, teneri permittere, vt dominus directus ſortem apud iudicem deponat. A quo tempore fructus pecuniae perit, donec ea alibi ſub vſuris elocari legitime, hoc eſt ſub hypotheca, queat, quo vtrumque dominium conſeruetur. Cum e contrario feudum pecuniae neque certum, neque rite conſtitutum eſt, ſi dominus de ſorte vaſallum inueſtiens, ad reditus annuos praeſtandos ſe obliget quidem, ſed rem, cui ſors inhaerere debeat, non exprimat, quum eiusmodi obligatio ſit mere perſonalis. Vid. *ſupra* §. *XIII. et XVIII.*

§. XXV.

In qua interdum dominium duplex manet, etſi ſpeciale hypothecae pactum omittatur.

Quod ſi tamen princeps ſortem, quam retinet, alicui in feudum concedit, moris eſt, vt aerarium pu-

blicum aſſignet, quod pactam pecuniae ſummam, et reditus ob eam ſolvendos praeſtet. Cuiusmodi aerarium quum, ob reditus a ciuibus illi inferendos, rebus immobilibus aequiparetur, nec non iſto fiſci vtatur priuilegio, vt ſemper cenſeatur diues, *l. 2. §. 1. de fund. dot.* ſufficientem cuiuis creditori praeſtans ſecuritatem, ita, vt ſimplex eius obligatio ſit vice oppignorationis, quin pignoris vtilitatem ſuperet; inde expreſſum hypothecae pactum penitus fere omittitur, neque tamen dominium directum et vtile perit. SCHILTER *ad I. F. A. c. XIV. §. 5.* Idque probat exemplum LOESERORVM, qui, vt Mareſchalli Saxoniae Electoralis haereditarii, olim quidem *fünf Schock Groſchen in dem marckte zu Elſter, ſechzehn Schock Groſchen in dem Dorfe zu Gorsdorff,* et poſtea *CCCLX. florenos annuos ex caſtro Pretzſch* in feudum acceperunt, nunc vero ſecundum literas inueſtiturae recentiores *mit 6000. fl. im Mittel der Land- und Tranckſteuer ſtehend, als einem fundo ſalarii* inueſtiuntur, I. GOTTLOB HORN *hiſtor. diplom. Abriſs von denen beym Chur- und Fürſtl. Sächſiſchen Provinzen geordneten Edlen Erbbeambten pag. 79. 80. et 83.*

§. XXVI.

Altera Feudi pecuniarii ſpecies.

Secunda feudi pecuniarii ſpecies eſt, cum dominus alicui ſortem, alteri ſub hypotheca locatam, feudi more

more tribuit. Quia vaſallus non ſolum ſortem, ſed etiam hypothecam rei immobilis iure feudi obtinet, ius conſequitur, rebus accenſendum immobilibus, quod dominium directum aeque ac vtile recipit. Etenim domini directi poteſtas cauendi, vt facta ſolutione noua conſtituatur hypotheca, cum pacto de praeſtandis vſuris, ius prohibendi, ne domino inuito vaſallus ius ſuum alienet, facultas plenum obligationis, tam perſonalis quam realis, ius, finito feudo, recipiendi, ſunt iura dominii directi, quae ibi locum habent. Ex aduerſo ius, vſuras vel reditus annuos percipiendi, facultas eos cum ſorte a tardo debitore exigendi, poteſtas concurrendi ad ſortem durante nexu feudali ſolutam, porro ſub pignore et vſuris alteri mutuo dandam, et ceſſante domino directo libere de ea ſtatuendi, ſunt iura dominii vtilis. Qui nexus feudalis, nonniſi inter dominum et vaſallum pendens, non impedit, ne obligatio ex mutuo vel alio contractu oriunda, et ius hypothecae, reſpectu debitoris, vel illius, qui rem poſſidet obligatam, pro rebus allodialibus habeantur. HORN. *I. F. c. IV.* §. 23. Quemadmodum noui IOANNEM ADAMVM, et CHRISTIANVM EVSEBIVM fratres *de* KALCKREVTH, de ſumma 3000 thalerorum, praedio Culmae, in Luſatia inferiori ſito, iure hypothecae inhaerente, adhuc *d.* 7. *Iul.* 1706. inueſtitos eſſe: ita plures litteras clientelares huc pertinentes inuenies in SENCKENBERGII *Prodrom.*

Iur.

Jur. feud. App. 3. prim. lin. I. F. adi. 34. ESTOR *kl. Schrifft. Tom. III. pag. 476. §. 5.* Quae exempla, tam a nobis, quam aliis adducta, probant, fruſtra dubitare THOMASIVM *de origin. feud.* §. I. an in aliis Germaniae prouinciis feuda pecuniaria inueniantur, quoniam TORNOV. *d. feud.* MECKLENB. *Sect. IV. §. 6. pag. 220.* teſtatur, illa Megapolitanis finibus tam rara eſſe, vt nullum exemplum allegare poſſit.

§. XXVII.

Tertia ſpecies, quam multi non agnoſcant.

Vltima ſpecies, qua dominus pecuniam, iure feudi conceſſam, vaſallo ſoluit, quo hic facultatem eam expendendi, et in ſuos vſus conuertendi habeat, maximis diſſidiis dedit locum, eamque pro vero feudo non reputarunt multi, vt ANDR. DE ISERNIA *ad II. F. 25. n. 2. circ. fin. verſu item ſi.* MATTH. DE AFFLICTIS *in dict. Cap. n. 2.* ROSENTHAL *c. IV. concl. 7.* CRAMER *concl. feud. 52.* SCHVLTZ *c. VI. n. 34. ſeqq.* aliique plures; qui exiſtimant, ne improprium quidem feudum conſtitui in pecunia, propterea, quod pecunia vſu conſumatur, quippe nullus eius vſus ſit, niſi expendas, et expendendo plenum dominium in alium transferas, §. 2. *I. de vſufr.* quae pecuniae natura, quum conſenſu contrahentium immutari

tari nequeat, fieri non poſſe, vt alter directum, alter vtile habeat dominium; neque huic rei afferri remedium per praeſtitam a vaſallo cautionem, qua dominium directum conſeruetur, et dominus reddatur ſecurus, pecuniam ſublato nexu feudali ipſi reſtitutum iri, propter hanc cauſam, quod eſſentiae feudi repugnet, proprietatem, ſeu dominium directum, cum vſufructu, ſiue dominio vtili, ad vaſallum tranſire, *II. F. 23.* cautionem efficere illam quidem, vt reſtitutio fiat, ſed non impedire quominus dominium directum vere a domino decedat, quin eam nimis eſſe fragilem quoad feudum, quum hoc non aeque finiatur morte, ſicut vſusfructus.

§. XXVIII.

Quorum quidem dubitdtio tollitur.

Enim vero omnes dubitationes refelluntur, ſi ad ea, quae diximus animaduertere velis. Diximus autem non nummos, veluti rem corporalem, ſed ius in feudum dari, conſtituto feudo pecuniae. Etiam tum, cum vaſallus ipſe ſortem debet, pro qua rem oppignorauit immobilem, dominium directum iuris, ciuiliter immobilis, competit domino inueſtienti, haud quaquam vero ab eo abſcedit. Nam conſiſtit in facultate, finito feudo, vi pleni et coniuncti vtriusque dominii, ſortem repetendi, et eius cauſa pignus perſequendi, tum quoque prohibendi, ne, ſe inuito, vaſallus ius ſuum alienet, ſique hic, ob conceſſam pignoris redimendi fa-

cultatem, ſortem reſtituat, vel venditione publica rei oppignoratae ius hypothecae exſpiret, poſtulandi, vt pecunia apud iudicem deponatur, donec ſub nouo et ſatis idoneo pignore iterum collocari poſſit. Porro dominium vtile vaſalli, conſiſtit in facultate, omnem ex nummis vtilitatem percipiendi, ne ſine vrgente neceſſitate ſors, antequam feudum eſt finitum, repeti queat, prohibendi, illius, ſolutione vero iuſtam ob cauſam facta, vt dominus, quoad feudum duret, vlteriorem elocationem alio pignore conſtituto permittat, vrgendi, et tandem, dominio directo extincto, per conſolidationem plenum ſortis lucrandi dominium. Vnde tam in hac ſpecie, quam in reliquis antea recenſitis, ſimul ac obligatio ad fidem feudalem contracta, verum ſubeſt feudum, etiamſi dominus illud concedens Princeps non ſit, *vid. Conſt. Sax. El. 30. P. III.* et CARPZOV. *Def. 10.* Nam ſine cauſa SCHILTER *ad I. F. A. C. XIV. §. 4.* requirit, vt a principe vi ſuperioritatis territorialis, natura pecuniae, tanquam rei allodialis in feudalem, transmutetur. Quandoquidem de corporibus nummorum in feudum datis diſputatio eſt fruſtranea, quae nunquam in feudum dantur, nec repugnante rei natura dari poſſunt: Sed nomen ſub nexu hypothecae rei immobili inhaerens, materia eſt contractus beneficiarii. Vbi iuris communis rationi conuenit, huiusmodi rem incorporalem, perinde atque res incorporales alias, in feudum venire, ita, vt principis autoritate non

ſit

ſit opus, ad qualitatem feudalem inducendam. Nam et fruſtra STRVV. *S. I. F. c. XIV. aph. 2. n. 4.* hoc pecuniae feudum ad impropria refert. Quod niſi aliud quid de naturalibus feudi ſit immutatum, eadem ratione feudis propriis accenſendum, qua res incorporales aliae plures, quae in feudum dari ſolent, vt recte ſentit HORN. *I. F. C. IV. §. 21.* qui tamen *§. ſqq.* 22. fruſtra negat, cautionem pertinere ad eſſentiam feudi pecuniae, *vid. ſupra §. XIII. ſeq.* Exempla Dipl. huc pertinentium deprehendes *in Adj. IV. et XI.* SENCKENB. *Pr. Lin. I. F.* SCHANNAT *Elench. Vaſ. Fuld. p. 50.*

§. XXIX.

De ſeruitutibus in feudum conceſſis et I. perſonalibus.

Sicuti hoc ipſum feudi pecuniae exemplum abunde probat, ius in feudum datum, tam rei propriae vaſalli, quam alienae inhaerere poſſe, ita ab eo, aliisque iuribus feudi capacibus, ſecernendae ſunt ſeruitutes rerum, ſecundum ius Romanum ſpectatae, quae vel reales ſunt vel perſonales. Seruitus perſonalis vocatur, quae perſonae debetur et cum ea exſpirat, nec ad haeredes tranſit, veluti vſusfructus, vſus et habitatio. HOPPE *ad Inſt. L. II. tit. 4. pr. verb. vſusfructus.* Nil prohibet, ne eiusmodi ſeruitus, poſſeſſori praedii ſeruientis in feudum detur. Illa enim, vaſallo defuncto, ad dominum ſuperſtitem reuertitur, et, domino ante vaſallum mortuo, ſeruitus, vna cum vinculo feuda-

 li,

li, exſpirat, ita vt vaſallus, vi pleni et conſolidati dominii, rem ſuam allodialem ab onere ſeruitutis liberam poſſideat, cui antea onus illud, quamdiu nexus feudalis durauit, inhaerebat. Etſi ius ſit perſonale, ad naturalia vero feudi ſpectet, vt illud ad progeniem maſculam primi acquirentis in infinitum deuoluatur, neque morte domini concedentis exſpiret, SCHILTER *ad. I. I. F. A. C. III. §. 8.* ibique GEBAVER, nihil tamen amplius conſequitur, quam, quod eiusmodi feudum ad impropria pertineat, quoniam ius feudale nouiſſimum etiam feuda temporalia, tam morte dantis quam accipientis finienda, veluti Soldatae, de camera et de cauena, *II. F. 2. §. 1. II. F. 10. II. F. 105. vid. ſupr. §. III.* rata habet. Interim licet ſeruitus perſonalis in feudum conceſſa ſubſiſtat, etiamſi rem vaſalli propriam afficiat: Semper tamen ius eſt, quod perſonae debetur, neutiquam rei.

§. XXX.

De ſeruitutibus realibus.

Seruitus realis eſt, quam praedio praedium debet, et poſtquam conſtituta eſt, inuito poſſeſſore praedii ſeruientis, in aliud praedium dominans transferri nequit, *l. 10. §. 1. d. vſur. l. I. §. 1. Commun. praed. l. 5. §. 1. d. S. P. R.* Quae propterea ſine praedio dominante in feudum dari nequit, et e contrario, praedio dominante in feudum dato, ipſa ſimul cenſetur data. *arg. L. 47. d. contr. emt. vend.* Quodſi vero de ſeruitute reali, adhuc

huc conſtituenda agatur, illa non minus ſine praedio dominante in feudum datur, ſi modo vaſallus habeat praedium, cui debeatur, e. g. ſi dominus de iure paſcendi in fundo ſuo alterius fundi poſſeſſorem inueſtiat. *l. 12. d. pign. et hypot.* FINCKELTHAVS *Diſp. III. Controu. fin.* HORN. *I. F. c. VII. §. 21.* Quumque nemo cum ſe ipſo contrahere, nec ſibi ius in re ſua in feudum dare poſſit, niſi forte duplicem agat perſonam, videlicet et domini et vaſalli, quemadmodum Imperator CAROLVS VI. in throno ſedens ſe ipſe, interueniente legato, a ſe, vt Archiduce Auſtriae, conſtituto, de terris Auſtriacis, in imperio inueſtiuit. MOSER. *R. H. Proceſſ. T. III. c. I. §. 21. Capitul. Fr. I. Art. X. §. 11.* per ſe patet, ſeruitutem in feudum dandam non a vaſallo, praedium ſeruiens poſſidente, proficiſci poſſe, ſed neceſſarium eſſe, vt alius praedii ſeruientis dominus de ſeruitute in re ſua, alium poſſeſſorem praedii, cui ea impoſterum debeatur, inueſtiat. Quin et ſeruitus realis iam conſtituta, et cum praedio dominante, domino praedii ſeruientis, in feudum data, non ſubſiſtere, ſed per confuſionem extingui videtur. Veruntamen haec in feudum conceſſio optime procedit, quia vaſalli dominium in praedio dominante eſt reuocabile, et ſeruitutes confuſione non extinguuntur, niſi idem vtriusque praedii, et dominantis et ſeruientis, dominus ſit irreuocabilis. *l. 7. pr. §. 1. d. fund. dot.* MENCKEN. *Theor. P. L. VIII. tit. 6. §. 2.*

 §. XXXI.

§. XXXI.

De aliis iuribus a ſeruitutibus diuerſis.

Ex dictis apparet, qua ratione a ſeruitutibus ſecundum ius ciuile conſideratis alia iura in feudum data differant. Quae non tantum in re vaſalli feudali exerceri, ſed et eidem vaſallo et eius haeredibus competere poſſunt, quin vna cum re ſeruiente, vt iura eidem accedentia, ab vno eodemque domino directo accipiuntur. Quum enim Germanorum more varia ſint iura realia, quae licet perſonae et ne quidem rei debeantur, nihilominus ad haeredes tranſeunt, hinc dominus, rem corporalem alicui in feudum concedens, pro lubitu tale ius ſibi et ſuis haeredibus reſeruat. Quod ſicuti porro alteri cuicunque in feudum dat, ita nihil impedit, quominus eundem, quem de re inueſtiuerat ſeruiente, etiam de iure inueſtiat reſeruato. Quodſi ergo ipſum tanquam poſſeſſorem rei ſeruientis inueſtiat, ius iſtud ad eandem rem pertinet, etſi vaſallus rei ſeruientis et iuris in ea exercendi dominium vtile vno actu conſequatur, quia nihilominus peculiaris de iure inueſtitura, continet exceptionem iuris, a dominio vtili rei corporalis ſeparati, et quia vtriusque rei, tam principalis, quam ſecundariae, dominium vtile eſt reuocabile. Attamen intelligi debet, eiusmodi ius, verbi cauſa lignandi, in fundo vaſalli, ab alio ſeparatim exerceri poſſe. Nam ſi ex dominio rei corporalis reſultet, nec alteri alicui vtilitatem praeſtet, cuius generis

eſt

eſt *ſupra* §. *XX.* commemorata ſpecies, eius a dominio ſeparatio cogitari nequit. Nec eſt, quod quis dicat, iſta vtilitatis inania eſſe, praeſertim, ſi ius cum re corporali in feudum datum non ſit de regalibus, ſed ex iis, quae alioquin dominii vtilis in rem corporalem competentis, ſunt effectus, cum ſi idem rei corporalis et iuris ei accedentis ſit dominus directus, adeoque aliquando vtrumque ad ipſum reuertatur, idem ſit in effectu, an vaſallus ius lignandi in praedio ſuo, vi dominii vtilis, quod ipſi in ſubſtantiam rei corporalis competit, an vi peculiaris infeudationis habeat. Imo vero multum intereſt, quia alterum citius, altero ad dominum poteſt redire. Nam ſi vaſallus iure lignandi abutitur, quod ipſi non vi dominii vtilis in ſylua quaeſiti, ſed vi ſingularis traditionis debetur, ipſeque feudi deterius facti priuatione coercendus eſt, non ipſam ſyluam, ſed tantum ius lignandi in ſylua amittit, paſtura aliisque emolumentis manentibus ſaluis.

§. XXXII.

De Iuribus ſeparatim conceſſis.

Etſi iura, vt res pertinentes ad aliam rem principalem, in feudum dari ſoleant; non minus tamen ſeorſim conceduntur. Quod rurſus dupliciter contingit, ita, vt ius ſeorſim in feudum datum, ad aliam rem principalem, quam poſſidet vaſallus, pertineat, vel per ſe ſubſiſtat. Quando ad aliam rem principalem, quae propria eſt vaſalli, pertinet, tum iterum diuerſae occurrunt

runt

runt ſpecies; alia, qua ius conceſſum in eadem re principali exercetur, alia, qua exercetur in re aliena. In quo genere tamen haec cautio eſt, vt, quoniam arbitrii eſt domini directi, an ad rem principalem referre ius velit nec ne, ex ſolis litteris feudalibus ea res demonſtretur, quum eo damnum domino directo fieri poſſit. Nam quia acceſſorium principale ſuum ſequitur, Dominus qui ius ſeorſim dat in feudum, nec non declarat, vt illud ad aliam rem vaſalli principalem pertineat, hoc ipſo facto tacite profitetur, ſe permiſſurum eſſe, impoſterum re principali alienata, etiam ius ad eam pertinens ſine diſerto ipſius conſenſu alienetur. Vnde magis domini intereſt, ius ſeorſim in feudum ita dare, vt eius cum feudo coniunctio non memoretur. Tum enim feudum iſtud per ſe ſubſiſtit, non ſolum eſſentialia, ſed et naturalia habens ſalua. Itaque cum ſtatus Imperii terras poſſidens allodiales, regalia in iis exercenda, iure feudi ab imperio accepit, et haeredibus feudalibus extinctis, prouinciae ad heredes allodiales deuoluuntur, in Imperatoris eſt arbitrio, regalia alteri alicui concedere in feudum cui velit, niſi forte ad feuda maioris momenti pertineant, ita, vt ad alium transferre imperator ſine conſenſu ordinum imperii per Capitulationem nequeat. *Capitul. Franciſci I. Art. XI. §. 10.* MOSER. *Comm. ad eand. et ad Carol. VII. Capitul.* DATT *de P. P. III. 12. §. 124.* ITTERVS *de F. I. c. VII. §. 6. p. 309.*

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Vt feudo officii.

Plura dantur iura perſonae ſub nexu feudali ſeorſim conceſſa, neque cum aliis connexa rebus. Quo inprimis pertinet feudum officii, cuius cauſa vaſallus non etiam aliam rem immobilem poſſidet, ipſum tamen, quoniam in territorio et re immobili exercetur, bonis immobilibus adnumerandum eſt. Si Miniſteriales de quibus Ill. GLAFEY et ESTORIS extant Commentarii conſideramus, eorum officia ipſis feudi lege tributa fuiſſe, quodammodo ſuſpicandum videtur. Cum autem in vtramque partem hac de re ſoleat et firmis ſane argumentis diſſeri, ea admodum dubia relinquemus. Hoc tamen aſſeri a nobis certiſſime poterit, officia multa in feudum ſeparatim antiquo tempore data fuiſſe, et nunc quoque concedi. Exempla eorum praebet FRID. A SANDE *Comment. ad conſuet. Geld.* et *Zutphan. feud. p. 34.* qui ſimul *Friderici Imp. de pace Conſt.* verba profert, *magiſtratus atque honores mandantur per beneficiariam veſtituram.* Notiſſima ſunt omnibus Imp. R. G. Archi-Officia a Viris Ill. COCCEIO *I. P. c. 11. et 12.* et MASCOVIO *I. P. III. 7.* recenſita, quae, ſi Electorum et ſecularium quidem inſpicimus litteras inueſtiturarum, iis feudi lege tribui ſatis clare intelligimus. v. LÜNIG *C. I.F. T. I. p. 567.* EIVSD. R. A. *I. 578. 594. V. 570.* MOSERI Staats-R.

T. VI. p. 98. Cum vero Electores non ſoleant ipſi ea peragere quae cum officiis coniuncta ſunt iisdem, alii ipſorum vices gerunt, atque his ſubofficiis, cum iure ea ab heredes transferendi, ab Electoribus iterum inueſtiuntur, quod WAGENSEILIVS *de S. R. I. ſummis et eorum ſuboff.* abunde oſtendit. Munus praeſidis Iudicii Rothwilenſis feudi titulo ab Imp. et S. R. Imperio dependere *Ordinatio* illius iudicii *P. I. T. I.* teſtatur. *Dieweil das Hofgericht ſambt dem Hof-Richter-Amt zu Rothweil von uns und dem H. R. R. zu Lehn rührt und gehet etc.* vid. quoque MAVRITIVS Diſſ. *de iudicio Rothw. c. 2. §. 6.* Electores denique et alii Principes in propriis territoriis eiusmodi officia haereditaria conſtituere, Saxoniaeque noſtrae officia propria ſunt, quae feudi lege ab Electore Saxoniae obtinentur, cuius rei integrum HORNII ſupra §. XXIV. laudati, habemus Commentarium, vt plura commemorare hac de re ſuperfluum foret. Nouiſſimum autem huius rei et admodum illuſtre exemplum quod primo loco ponendum erat, praebet *Princeps de Taxis*, qui officium ſupremi Poſtarum Magiſtri haereditarium, ab imperio iure feudi tenet, vid. ITTERVM *de F. I. 430.* vid. *Litt. inueſt. in* SCHMAVS. *C. I. P. A. et Nob. de Beuſt de Reg. Poſt. p. 183.* neque alia bona immobilia poſſidet in imperio. Qui cum admiſſionem et receptionem in Collegium Imperii Principum peteret, fruſtra dubitatum eſt, an petenti ea

conce-

concedenda, quod requireretur, vt princeps imperii recens creatus, bona immobilia in imperio poſſideat: CAPITVL. *Fr. I. Art. I. 5.* At merito praeualuit ſententia, ſolum ipſius officium ad bona pertinere immobilia, adeoque ipſum hoc eſſe iure, vt ei ſuffragii in comitiis poteſtas ſit concedenda, quamuis ipſe ob alia impedimenta, praeſertim quia dubium reſtat, quis locus ipſi inter alios principes nouos in collegium recipiendos, adſignandus ſit, nondum ſuffragii ſui ſit particeps factus. Imitati ſunt hos Principes ſeculares, non comites ſolum, ſed et adeo Eccleſiaſtici. Nam Epiſcopi et Abbates eius generis officia dedere, notandumque quam maxime, olim Illuſtriſſimos Principes ſeculares et Epiſcoporum et abbatum officiales fuiſſe, et ab iis officia haereditaria, ſub conditione feudi accipere, non dedignatos eſſe. Quam rem inprimis Bambergenſia et Wurzeburgenſia feuda officiorum illuſtrant, atque confirmant, vt, ampliorem eius rei demonſtrationem adiicere, non opus habeamus.

§. XXXIV.

Pertinet huc officium pincernae monaſterii et capituli Campedunenſis quod ab Electore Sax. in feudum attribuitur.

Non tamen ſilentio praeterire poſſum officium pincernae in monaſterio et capitulo Campedunenſi in Sueuia, quod ſolum ſine aliis bonis immobilibus ab Principe Electore Saxoniae iure feudi recognoſcitur, vbi vaſallus, quem Elector Saxoniae inueſtit, vtilitatibus

commodisque ex officii adminiſtratione prouenientibus, contentus eſſe debet. Id quod ex litteris Auguſti Ducis Saxoniae intelligitur, quarum exemplum ſubiicimus.

Von Gottes Gnaden, wir Auguſtus Herzog von Sachſen, Churfürſt etc. und Burggraf zu Madeburgk etc. Bekennen vor uns und unſere Erben gegen menniglich, daſs wir unſern lieben getreuen Ioachim Renner von und zu Almending, aus Gnaden und keiner Pflicht, allein für ſeine Perſon und nicht weiter, auf gewöhnliche Pflicht, die er durch unſern Ambtmann zu Pirna und lieben getreuen Chriſtoffen Kitzſcher in ſeine Seele ſchweren laſſen, das Schenckamt des Cloſters und Stiffts zu Kempten, welch Amt von Vns und Vnſern Churfürſtenthum zu Sachſen zu Lehn rühret, nichts ausgeſchloſſen, ſondern in allermaſſen Hans Burgkhard von Heinhoffen, ſein Schwager ſeeliger, daſſelbe von uns aus Gnaden und keiner Pflicht, allein für ſeine Perſon zu Lehn inne gehabt, genoſſen und gebraucht, gnediglich gereicht und geliben, ſoviel wir von Rechtswegen daran zu verleihen haben. Reichen und leihen gedachten Ioachim Renner, vor ſeine Perſon allein wie obgemelt ſolch Schenckambt hiemit wiſſentlich und in Krafft diz Brieffes, daſs mit allen und ieden ſeinen Ehren, Nutzen, Wirden, Freyheiten und Gerechtigkeiten inne zu haben zu genieſſen und zu gebrauchen, daſſelbige Amt auch treulich zu verweſen, uns und unſern Erben davon nichts entziehen

ben zu laſſen, dazu uns, als einen treuen Lehn-Manne gebühret, davon gewerttigk zu ſeyn, wie denn berührtes Schencken-Ambts alt Herkommen Recht und Gewohnheit iſt. Treulich und ohne Geferde. Hierbey ſind geweſt und Gezeugen Vnſere Rethe und liebe Getreue, Her Hieronymus Kieſewetter zu Ditterssbach der Rechte Doctor, Unſer Canzler, Ihan von Zeſch[illegible] zu Bouch, Tham von Sebottendorff zu Rotwerndorff, David von Hirſchfeld, Her David Beiſer, Her Wolffgang Eulnbeck, Her Andreas Paul, alle drey der Rechten Doctores, und andere mehr der Vnſern gnug glaubwürdige. Zu Uhrkund etc. Und geben den neun und zwanzigſten Monaths-Tag Iul. 1573.

Vnde apparet eo tempore feudum hoc aulicum adhuc perſonale fuiſſe. Poſtea vero ab Electore Saxoniae Chriſtiano II. Caſpari Renner de Almandingen, pro ſe et deſcendentibus, iisque deficientibus, Io. Georgio Renner de Almandingen, eiusque deſcendentibus, et his quoque defunctis ſeniori familiae Rennerianae, tempore vacationis, exiſtenti, in infinitum ſub lege fidei feudalis donatum eſt. Tandem vniuerſa Rennerorum de Almandingen gente extincta, Domino Ioanni Ioſepho Leopoldo libero baroni de Bodmann e praenobili Sueuiae gente ipſiusque deſcendentibus maſculis, officium illud in feudum conceſſum eſſe, relatum accepi. Quum vero ob eiusmodi feudum, ſeruitia non militaria praeſtentur, illud, etſi ſit haereditarium, ad feuda ratione ſeruitiorum impropria pertinet.

§. XXXV.

Et domini directi ius in feudo.

Ad iura ſeorſim et per ſe in feudum data etiam ſpectat, quando quis de dominio directo, quod ſibi in re feudali competit, alium inueſtit, adeoque vaſallo quondam immediato, ſub dominum dat directum. Quum ſupremi domini dominium directum regulariter ſit allodiale, vtpote in conceſſione feudi reſeruatum, quod non aeque a vaſallo, atque huius dominium vtile a domino dependet, conſequitur, regulae eſſe conſentaneum, vt dominus, diſſentiente licet vaſallo, dominium directum penitus in alium transferre et alienare poſſit. Multo magis igitur, iure feudi et vtilis dominii illud alteri cedit. Tumque accipientis vaſalli dominium vtile in eo conſiſtit, vt ipſe iura domini directi in vaſallum, qui olim a domino ſuperiori rem ſuam iure feudi acceperat, exerceat, adeoque ex vaſallo quondam immediato ſubuaſallus fiat, ſicuti ſubdominus ſiue dominus mediatus proxime propter dominium directum ſibi in feudum datum fit vaſallus domini ſuperioris, qui hoc ſuo vaſallo et ſub domino deſinente, ſubuaſallum et iura ad eum competentia, quae fuerant domini immediati recipit. Quae inueſtitura, vbi vaſallus, vt ſubdominus, ſubuaſallos vel ſubditos conſequitur, per clauſulam, *mit der Mannſchafft* exprimi ſolet. Interim, dum quilibet dominus directus, vaſallo ſuo mutuam

fidem

fidem feudalem debet, in cuius detrimentum is ius ſuum alienare prohibetur, *II. F. 34. §. ex eadem II. F. 55. §. firmiter*, inde, ſi dominii directi in feudum dati fidem, vaſallo immediato praeſtandam laedat, verbi cauſa ſi nouus ſubdominus ſit ſubuaſalli inimicus, vel dominus clypei inferioris, non vtique dominii directi in feudum datio, ſine conſenſu vaſalli procedit. *I. F. S. c. XXV. I. F. A. c. L. XXXIX. §. I. vet. Aut. de ben. §. LVIII.* RINCKII *Diſſ. de Clypeor. rat. hab. in feud. alien.* Exemplum dominii directi in feudum dati deprehendimus in caſtro MORVNGEN, et metalli fodini comitatus Mansfeldenſis, quae olim feuda imperii immediata fuerunt, quorum dominium directum ab Imper. Frid. III. in duces Sax. Erneſtum et Albertum anno 1466. iure feudi et translatum et a Comitibus agnitum an. 1484. tum denuo ab Imp. confirmatum eſt, a. 1485. GRIBNER *de ſubfeud. Imp. quae olim immed. feuda fuerunt, praerog. §. XV.* In litteris Clientelaribus Matthiae Imp. Principi Lichtenſteinio datis de Anno 1614. apud LÜNIG *T. II. C. I. F. p. 86.* haec leguntur. *Mit allen und ieden daſelbſten Furſtl. Regalien Ein- und Zugehoerungen an Schloſs, Stadt, Land und Leuten mit allen Lehenſchaften, Mannſchaften freyen etc. vid.* BVRI *ad Schilt. Inſt. I. F. p. 602. 606.* SCHILT. *Com. ad Ius F. A. 19. 9.* vbi legimus Carolum IV. dominium directum feudi imperii *Hamerſtein* in feudum conceſſiſſe.

§. XXXVI.

Poteſt dominus Ius aliquod in feudo, v. g. den Anfall *etiam invito vaſallo in feudum dare.*

Sed etſi iuſtas ob cauſas vaſallo inuito ſubdominus directus dari non poſſit: certe tamen iura quaedam domini directi vaſallo inuito alteri recte in feudum dantur, quo non alius ſubdominus vaſallo obtruditur. Inter alia pertinet ad iura domini, vt, vaſallo extincto, feudum ad ipſum reuertatur, quod vocari ſolet der *Anfall.* Hoc ius ſi dominus alteri alicui in feudum det, tum quidem nouus vaſallus, de hoc iure inueſtitus, in re alterius vaſalli ius purum et praeſens conſequitur, ita, vt feudum impoſterum non ad dominum, ſed ad ipſum eiusue haeredem feudalem adhuc ſuperſtitem recidat, nec in fraudem huius iuris feudum in quendam, qui in antiqua inueſtitura, non comprehenditur, alienari, neque olim ad ſuccedendum inhabilis, iamiam habilis dici queat, non tamen propterea is vaſallo, cuius feudum iure iſto adficitur, datur ſubdominus. Ita optime iſta iuris in feudum datio procedit. Saltem feudum iſtud temporale eſt, et poſt delatam in rem vacantem, ſucceſſionem euaneſcit, nouum feudum relinquens, dum vaſallus rem vacantem iure feudi accipere debet. Nec minus ante hunc euentum vaſallus a praeſtatione ſeruitiorum feudalium regulariter immunis eſt, quia non alium habet fructum,

quam

quam ius impoſterum in aliud feudum frugiferum ſuccedendi. Vnde eiusmodi feudum quidem ad impropria pertinet, ſed vim veri feudi non amittit. Varia iura in feudum conceſſa commemorant SCHANNAT. *Client. Fuldenſi, vt p. 17. 23. 40. 43. 45. 231. etc.* ESTOR *klein. Schr. T. II. p. 467.* et BVDER *amoen. I. F. No. 13. et 14.* Et haec quidem de iuribus, quae feudi nomine dari poſſunt, ad actiones eius generis veniamus.

§. XXXVII.

De Actionibus in feudum conceſſis.

Vaſallus, de re corporali vel iure inueſtitus, vna omnes conſequitur actiones, quarum facultatem domino res ſua tribuit, quaeque ob dominium vtile vaſalli vtiles vocari ſolent. Atque etiam vulgaris eſt opinio, vaſallum quoque, actione accepta in feudum, ſimul de re corporali vel iure petendo inueſtiri, quia, qui actionem habet ad rem recuperandam, ipſam rem habere videtur, *l. 15. d. R. I.* ibique IAC. GOTHOFR. Quia vero actio eſt facultas perſequendi in iudicio, quod ſibi debetur, *pr. I. d. act.* ab eo, quod petitur et debetur, diuerſa, hinc vaſallus non, niſi dominium vtile huius rei incorporalis nanciſcitur, ita, vt finito iudicio, poſſeſſione rei impetrata noua opus habeat inueſtitura, ad dominium vtile rei, quam in iudicium deduxerat

inueſtitus, feudo vacuefacto noua indiget inueſtitura, ad dominium vtile rei, in quam ſuccedit, accipiendum, *vid. §. praec. XXXVI.*

§. XXXVIII.

Res ab actione qua rem conſequimur diſtinguenda eſt.

Qua in re non diſtinguendum eſt, an dominium rei in iudicio perſequendae, apud dominum inueſtientem iam exiſtat, an eodem ipſe deſtituatur, et non, niſi ius ad rem, v. c. actionem perſonalem emti, ad rem venditam tradendam, et dominium transferendum contra venditorem habeat. Nam etiam, ſi iſtud eſt, dominus, non dominium vtile rei petendae, ſed tantum actionis ad eam conſequendam vaſallo cedit. Quando in Saxonia vindicatio rei immobilis allodialis ceditur, non etiam rei petitae dominium in ceſſionarium tranſit, ſed ad hoc conſequendum, non ſpectata ceſſione actionis, inueſtitura magiſtratus, ſub cuius iurisdictione res eſt ſita, requiritur. Eadem nec diuerſa eſt ratio, inueſtiturae feudalis de rei vindicatione. Etſi enim idem dominus, qui de actione inueſtit, facultatem de re petita inueſtiendi habeat; attamen in omni negotio, quid actum ſit, non, quid agi potuerit, ſpectare oportet. Dum igitur dominus inueſtituram ad actionem reſtringit, eam vero ad rem quae perſequenda eſt, expreſſe non extendit, id quidem conſulto factum eſſe cenſendum, quia nouit, ſe poſt inueſtituram, ad vacuam rei poſſeſſionem, etſi alius eam

eam habeat, tradendam obligari. *II. F. 7. in fin. I. F. 4. princ. II. F. 26. §. ſi, facta.* Multo minus exiſtimare licet, dominum, qui de actione inueſtiuit, de re in iudicium deducenda inueſtiiſſe, cuiusmodi interpretationem nec verba inueſtiturae, nec ſingulare praeiudicium ipſi metuendum permittunt. Vt igitur fruſtra TITIVS *teutſch Lehnrecht C. VIII. §. 10. ſqq.* inueſtituram de re incorporali cum inueſtitura de re corporali confundit, arbitratus, hanc ſolam ſemper obiectum eſſe inueſtiturae: ita fruſtra BVRI *Erlæuterung des Teutſch. Lehn-Rech. p. 599. ſeqq.* inueſtituram de re quam actio perſequitur, cum inueſtitura de actione commiſcet. Etenim res in iudicio petita, eſt quidem obiectum actionis eam perſequentis, et res, in qua ius exercetur, huius rei incorporalis eſt obiectum, ſed ius et actio ſunt obiectum inueſtiturae, per quam non dominium vtile rei, cui ius inhaeret, vel quam actio perſequitur, ſed dominium vtile iuris, vel actionis transfertur.

§. XXXIX.

Inter Ius et actiones differentia.

Iſtud quidem inter iura et actiones, quae in feudum dari poſſunt, fere intercedit diſcrimen, quod iura plerumque ſint perpetua, et quaſi poſſeſſori prae-

res concedenda ſit perpetua, neque vt illius praeſens ſit vtilitas. Exempla feudorum, habitationis, de camera, de cauena, aliaque abunde probant, dari feuda temporalia, ſicuti omne feudum reuocabile eſt, et nullum abſolute perpetuum, quin a feudo perſonali actio in feudum data in eo differt, quod adhuc magis proprii feudi naturam imitetur, dum regulariter, quoad aliud actum non eſt, ad heredes feudales tranſit. Tum quidem effectus eſt dominii vtilis, vt vaſallus omnem ex re feudali prouenientem vtilitatem percipiat, neutiquam tamen requiritur, vt vtilitas ſit praeſens, ſed ſufficit ſperata. Qualis occurrit in ſuperinfeudatione, ſeu inueſtitura euentuali, quam pro vero feudo habent interpretes accuratiores, vt iam nihil dicam de ſimultanea inueſtitura, in proprio feudo conceſſa, et de inueſtitura, qua ius ſuccedendi in feudum vacans, quod domino competit, ceditur vaſallo, quum eiusmodi feudum praeſentem habeat vtilitatem, vbi ſine iſtiusmodi inueſtiti, vtpote futuri ſucceſſoris, conſenſu, res feudalis, cuius vacatio ſperatur, alienari nequit. Vaſalli de actione inueſtiti dominium vtile ſuam praeſtat vtilitatem, dum is, exiſtens victor, finito iudicio, rem conſequitur petitam, cum emolumentis a reo condemnato reſtituendis. Quae vtilitas etſi ante iudicium finitum non percipiatur: attamen ſufficit, eam non ſolum ſperari, ſed et ſpem ſubeſſe falli neſciam, dum cedens actionem titulo oneroſo regulariter, ſi

aliud

aliud conuentum non ſit, veritatem praeſtare, et ceſſionario in iudicio ſuccumbentem, huic omne damnum inde proueniens reſarcire tenetur. *l. 4. ff. d. haered. vel act. vend.* Qua ratione, quum vel reum conuentum et ſuccumbentem, fructus perceptos et percipiendos reſtituere, vel, eo vincente, dominum, ad euictionem obligatum, iſtud damnum refundere oporteat, *II. F. 8. pr. II. F. 25.* ſano hoc ſenſu aſſerendum eſt, actionem iure feudi ceſſam, ne quidem praeſenti deſtitutam eſſe vtilitate, ſed eius perceptionem tantummodo ad tempus differri, ita, vt hoc feudum certiorem et maiorem praeſtet fructum, quam inueſtitura euentualis, et ſi actio gratis, vel quidem titulo oneroſo, ſed cum pacto, de euictione non praeſtanda, in feudum ſit conceſſa, ſaltem non minorem fructum praeſtat, quam inueſtitura euentualis. Cuius vtilitas ſicuti ſpes eſt, quae deficit, feudo non vacante, ita vaſallus actionem, cum pacto, de non praeſtanda euictione, accipiens in feudum vtilitatem habet ſperatam, quae deficit, actione infelici ſucceſſu ad finem perducta.

§. XL.

Illa actio in feudum dari ſolum poteſt quae ad rem immobilem perſequendam ſpectat.

§. *XI.* conſequitur, non aliam actionem rectum efficere feudum, quam quae tendit ad rem, vel naturaliter vel ciuiliter immobilem, conſequendam, adeoque aliud verum feudum in ejusmodi re conſiſtens praeparat. MATTH. DE AFFLICTIS. *II. F. 1. §. Sciendum*, GAIL. 2. *Obſ. Pr. 11.* MOZZ. *de reb quae in feud. n. 11.* Nam ſi petitio rei mobilis in feudum detur, et vaſallus in iudicio vincens ſuum a reo condemnato conſequatur, is plenus rei acceptae fit dominus, et nihil amplius reſtat, quam obligatio perſonalis ad ſimilem rem vel eius aeſtimationem ob fidem fractam vel defectum haeredum, pro quibus contractum eſt, reſtituendam, cuiusmodi effectus reſpectu vaſallus actionis in ſe translatae plenus euaſiſſe videtur dominus, quae tamen vi pacti, ante iudicium finitum, eueniente caſu ad inueſtientem reuerti poterat. Quum igitur actiones quae res mobiles perſequuntur, rebus mobilibus adnumerari ſoleant, *vid. ſupr. §. XVI.* mores feudales vero requirant, vt feudum in re immobili, vel ea quae pro tali habetur, conſtituatur, *II. F. 1. §. Sciendum.* non erraueris, ſi inueſtituram de actione ad rem mobilem tendente, pro vero feudo habere recuſes. Sed etſi vrgeas, eiusmodi actionem, quam diu in iudicio ventilatur, reſpectum dominii directi et vtilis admittere, *l. 5. C. d. haered. vel act. vend.* qui demum iudicio finito, quando inueſtitus ſuum a reo eſt conſecutus, ceſſet, obligatione perſonali in locum feudi finiti ſuccedente, et ante quam hoc factum, eſſentialibus feudi exiſtentibus

bus ſaluis: certe tamen feudum oritur improprium, ſicuti vaſallus de actione inueſtitus, durante iudicio, ob ſuſpenſam fructuum perceptionem, a praeſtatione ſeruitiorum non poteſt non immunis eſſe, quippe quam ob cauſam quaelibet actio in feudum data, feudis impropriis adnumerari debet. Quumque minimum res mobilis, quae obiectum actionis fuit, non referat veri feudi ſpeciem. *vid. ſupr.* §. *XIII.* tandem omnis diſputatio, an actio, rem perſequens mobilem verum, an improprium efficiat feudum, vtilitate caret.

§. XLI.

Quaeſtio mouetur an ipſa actio vel res quam illa perſequitur ſit obiectum contractus feudalis.

Vtilis autem quam maxime eſt indagatio, vtrum actio, an res quam illa perſequitur, ſit obiectum contractus feudalis. Nam ſi prius, ſufficit praeſtare veritatem actionis ceſſae. *L. 4. d. haered. vel act. vend.* niſi gratis eam conſecutus ſit vaſallus, quia in negotiis mere lucratiuis praeſtatio euictionis ceſſat. *l. 2. C. d. euict. l. 62. ff. eod.* MENCKEN *theor. et Prax. Pand. L. XXI. t. 2. §. 5.* Etſi vero titulo oneroſo actio in feudum ſit data: non tamen vaſallus a Domino, vt ante actionem finitam fructus rei petendae praeſtet, petere poteſt, quia nondum haec ipſa, ſed actio ad eam perſequen-

ſi facta. Vnde ſi poſſeſſio vacua praeſtari nequeat, ſed aduerſarius exiſtat, vaſallus quidem vi dominii vtilis, ad poſſeſſionem accipiendam, contra poſſeſſorem agere poteſt, ſi vero contra dominum experiri malit, hic, qui gratis non inueſtiuit, vaſallum indemnem praeſtare, eamque ob cauſam ipſe poſſeſſorem ad poſſeſſionem cedendam, conuenire, vel ſaltem ſumtus, ad actionem in iudicio deducendam, neceſſarios ſubminiſtrare, vt et fructus ante litem finitam percipiendos vaſallo, poſſeſſione deſtituto, praeſtare iure meritoque tenetur, niſi forte de re certos producente fructus tradenda, ſed ab alio poſſeſſa, inueſtiuerit vaſallum, *zu ſeinem Rechten*, i. e. *in quantum de iure.* Per hanc enim clauſulam vaſallus certior fit, dominum inueſtientem ipſum dubitare an res ſua ſit, nec ne, anque ipſe iure competente dominium vtile per inueſtituram ad vaſallum transferre poſſit. Vaſallus igitur talem accipiens inueſtituram ſpem emit, et actionis ſumtus ſuſtinere debet. Adeoque etſi de re petenda nominatim inueſtiatur: aeque tamen principaliter de actione incerti euentus inueſtitur, et re infeliciter cadente damni dati actionem aduerſus dominum non habet, quemadmodum vaſallus inueſtituram et poſſeſſionem rei, quam alias ad ſe pertinere contendit, cum Clauſula: *zu ſeinen Rechten*, accipiens, et deinde, a vero domino vel ſucceſſore feudi conuentus, ſuccumbens, caret actione ad praeſtandam euictionem, aduerſus dominum inueſtientem inſtituenda.

ERRATA

p. 1. l. 13. ſunt 2. 2. aptae. 3. 5. ſecuta inueſtitura 9. 1. poſſint 24. 22. corporali. 18. 9. ſunt.

A01114701 76